(5

IN BRITANNORVM

TITVLOS ALIQVOT NVPER EFFOSSOS,

ITEMQUE OSCOS

POMPEIORVM NONNVLLOS

COMMENTARIVM IX

RAYMVNDI GVARINII.

NEAPOLI

TYP. SOCIET. PHILOMAT.

1826.

PRAELOQVIVM

Anglorvm nationem, pacis, bellique artibus longe potentissimam, quod literas et colit ipsa impense, et fovere porro, qui easdem colunt, non minore studio solet, suspicimus, atque amamus. Cum igitur passim circumferantur tituli quidam nuper apud ipsos detecti, significatumque per amicos, cupere eos, ut et mutilis suppetiae afferantur, hiant enim nonnulli miserrime, et singulorum denique in apricum sententia ponatur; continuo in hos adiectus animus, quo ipsis primum, deinde aliis cupediarum eiusmodi cupidis, quoad per vires liceat, gratum faceremus. Inde novi huius Commentarii nostri, eiusdemque noni praebita occasio. Quod, ut ne mole contingeret valde distare a prioribus, quibuscum conglutinandus, Oscis in-

scriptionibus nonnullis cumulandum duximus, quae prostant Pompeis, quasque indotatas omnino de domo exire, parum fortassis liberale, honestumque videri poterat. Nec plura hanc in rem praefari, necesse est. Vale.

§. I.

Tituli nuper in Anglia detecti restituti, expositique.

Transmarini hi tituli, quos tractandos primum aggredimur, quatuor omnino numero sunt, quorum prior, et alter, quod mutili extant, medicina egent. Reliqui integri decurrunt. Qua in re partes, qualescunque demum eae futurae, desiderari nostras, minime patiemur. Primus ad Sepulcralium classem referendus videtur, nec magni porro quidquam, nisi fallimur, prae se fert. Est autem huiusmodi:

1.

D	:	...... FLAVIVS...SENILIS.. POSSV..
C	:	A.....). VICT)RINO ANTE....

Priorem characterem D in *praenominum* vulgus reiicere, minime placet, non ea tantum ratione, quod *Flaviorum* nulli *Decimi* praenomen

adhaesisse, meminimus, sed potiori hac sine dubio,quod longius multo ille abest a *Flavii nomine*, ut *praenominis* vice defungi potuerit, quod ex apposito schemate palam consideranti est. Ad notam magis formulam sepulcralem, D. M. respicere dixeris, cuius litera alia M, aut continuo subiecta τῷ D, aut ad partem Marmoris dexteriorem in fine versus insculpta, quod non raro in titulis eiusmodi factitatum, norunt optime eruditi viri. Spatio autem hiante, quod *nomen* inter Flavii, *Senilisque* cognomentum intercedit, facile comprehensa olim dixeris, tum *paternum* Flavii *praenomen*, tum utriusque *Tribus*, cui erant adscripti. Characterem septimum superstitem lineae insequentis, nempe Ɔ, pro integro O, nihil est, ut agnoscere detrectes. Et fortassis eo complebatur *τὸ Flavio*, cui *Victorini* cognomen erat, cuique defuncto a *Flavio Senile* titulus, de more, positus.

Quod sequitur deinde ANTE.. post vocem integram fere VICTORINO, monumenti videtur dimensiones attinuisse, supplendumque ANTERIORI, nempe *parte* = p. x. Vel potius, quod in idem redit, *ante frontem* (1). Quod dimensionum genus in re funebri passim per for-

(1) Vid. Fabrett. p. 178. n. 306. in not.

mulas *in Agro*, et *in Fronte* designatum videas. Nec in longius, arbitramur, funiculum hunc esse trahendum.

A funebrium censu recedit titulorum triga insequens, iique omnes inter *Sacra* locum sibi iure postulant, vindicantque. Longe omnium difficillimus, quem protinus in medium allaturi erimus, de paucis praemonito ante Lectore. In primis, ut ne in eiusmodi locorum, temporumque titulis της sive ὀρθογραφιας, sive συνταξεος τὴν ἀκριβειαν morosus, fastidiosusque expostulet, quod facere, etsi ατοπας omnino, eruditului quidam consuevere, quibus sollemne, talibus de causis vel leviculis, spuria omnia, aut suspecta certe, τὰ κέιμηλια habere. Suammet hominibus eiusmodi sollertiam, eruditionemque relinquamus, qua carere sine detrimento, immo et cum emolumento, possumus: nec turbabimur proinde, si in nostris E, I, V, promiscue adhibita offendimus; et *possuit* pro *posuit*, *promissit* vice τε *promisit*; et *demediam* pro *dimidiam*, et *anelum* pro *anulum*, et *perdedit* pro *perdidit*, et *inter quibus* pro eo, quod *inter quos*, ad Grammatices amussim, esse oportuerat. Fatuus omnino sit, qui maculis huiusmodi offenditur. Quid de eo dicendum, qui idcirco de τῃ inscriptionum ἀυθεντια ancipitem se

profiteatur ? Alterum, quo de Lectorem monitum volumus, est tituli huius nostri decurtatio, qua ipsum iniuria tempus affecit. Restituendus ille itaque ante omnia, sanandusque quaqua via, si quid boni succi inde depromere, in animo est. Ecce nunc ipsum tibi, qualis ad nos est perlatus, schemate apposito fidelissimo :

2.

DΓVO
NODENTISKVLANVS
ANILVMPERDEDIT
DEMEDIAMPARTEM
DONAVITNODENTI.......
INTERCVIBVSNOMEN
SENICIANINOLLIS
PETMITTASSANITA
TEMDONECPERFERA..
VSQVETEMPLVMNO
DENTIS

Devo pro *Divo*, seu *Deo*. Ita in Aere Borgiano olim, nunc Musei Borbonici : *Deve Declune*, de quo consule, si lubet, Commentarium nostrum primum (2).

Ad vers. 3. occurrit CVIBVS pro *quibus*, C videlicet pro Q ; quod vel scalptoris, aut

(1) *In Veter. Monum. Comm. I.*

auctoris inscitiae tribuas, cui tituli partes impositae: vel potius partem Q dexteriorem temporis iniuria detritam arbitrator, superstite tantum, quod erat partis laevae, C. Nunc sua inscriptioni facies reddatur, impletis lacunis, caeterisque ad communem scribendi morem revocatis.

Deo
Nodenti. S. Culanus
Anulum perdidit.
Dimidiam partem pretii
Donavit Nodenti, fur. detect.
Inter quibus nomen
Seniciani nolles
Permittas sanita
tem, donec perferam
Usque Templum No
dentis

Versus secundi voces cum characteribus ita segregandae, disponendaeque inter se omnino sunt, ut per nos factum vides, e quibus nullo labore habes: *Deo Nodenti Sacrum*, quae sacrorum formula notissima. Nam si characterem S ad vocem insequentem *Culanus*, seu *Cylanus* traxeris, prodibit inde *Sculanus*, aut *Scylanus*, vox nimirum originationis parum ingenuae; cum Cilanus, vel Cylanus originis honestatem tueri facile queat, si a *Cilone* Latinorum, aut a grae-

eo magis τῷ χύλωνι arcessas. *Nodenti* porro, minime *Nodentis*, idest in dandi, non gignendi casu, esse legendum, luce meridiana clarius patebit ex biga reliqua Epigrammatum sequentium. Nunc in vocis potestatem inquirendum, et utrum ea numinis alicuius τȣ̃ ἐπικȣρίȣ propria habenda sit, an potius aliunde illi, casuque mere extrinseco adsciti. Non enim desunt, qui latitare sub illa suspicantur Deum quemdam Saxonum antiquiorum proprium.

Nodens igitur, latine *edentulus*, Graecis est νοδὼς, vox coalita ex particula negante νὴ, et ἀπὸ τȣ̃ ὀδόντος, *dentis*. Quae cum ita sint, veri similius videtur, Deo adscitum extrinsecus alicunde id nominis, quam proprium, primigeniumque putare. Ecquis enim *Deus Edentulus?* Diis quippe ab aetate nihil contingere detrimenti potest, quibus etiam *senecta cruda, viridisque*, ut Musa canit Poetae, gentilitatis Theologi, Pontificisque Maximi. Tutius idcirco erit, dicere, Deum hunc, quicunque demum ille sit, ita nuncupatum a *Nodente* quopiam, qui eumdem, templo extructo, colebat prae caeteris. Nec enim novum, doctorumque auribus inauditum, Diis, Deabusve a cultoribus interdum suis cognomenta adhaesisse; in quam rem, ut puta notissimam, exempla congerere

supersedemus. Huiusque veriloquii, nisi oppido fallimur, indicium praebent manifestissimum verba illa tituli hujus eiusdem nostri: *Permittas sanitatem, donec perferam usque* (ad) *Templum Nodentis*. Evidens siquidem ex his est, qui tabulam suspendit voti iam reus factus, a Deo sibi *sanitatem precari*, *donec perferat* (dimidiam partem pretii voto promissam) *usque* ad *Templum* ipsiusmet *Dei*. Fac enim, *Deum* eiusmodi ipsummet esse *Nodentem*. Sententia haec erit. *Nodens*, *sanitatem permittas*, *donec perferam usque* ad *Templum Nodentis*; quae putissima ἀκυρολογία. Dixisset potius: *usque ad Templum tuum*. Verum heic aliud per viam se praebet luctamen, quod nisi expediatur, impeditissimum iter fore, oportebit, ita ut ad finem nullus pateat exitus.

Templum, quo de agitur, sine cunctatione *Dei Nodentis* templum extitit. In eo et tabula Cylani votiva effossa. Cylanus igitur iam *Nodenti* in Templo ei sacro votum solverat *libens merito*; eoque idcirco et perrexerat, et re ipsa pervenerat. Quo igitur sensu sanitatem sibi a Deo adprecatur, *donec* rem voto promissam *perferat usque* ad *templum*? Nodus equidem vindice dignus, cui solvendo una patet via, quam mox aperiendam curabimus.

Votorum, ut cuivis compertum, alia *nuncupatio*, alia *solutio*. Nec enim vota *concepta* protinus et *soluta* esse, necesse est; sed cum demum voti nuncupator, et voti reus factus est. Cylanus itaque *votum conceperat*, et voti formam tabulae insculptam consignaverat; sed nondum voti reus a Deo factus. Tabula igitur tota erat *de voti nuncupatione*. Post voti damnatus, aut tabulam ipsam ipse per se attulit Templo Nodentis, vel certe in eo describendam curavit. Age nunc redeamus, unde digressi tantisper sumus. Ex hactenus dictis plusquam in aperto est, in re nos votiva versari. En igitur Britanici tituli sententia omnis paucis expressa.

1. Cylano cuidam annulus furto ablatus. 2. Votum Deo Nodenti pro rei ablatae recuperatione *nuncupat*, *dimidiam partem* scilicet pretii pro anuli aestimatione. 3. Fures feliciter detecti, quos inter *Seniciani nomen nolles*, idest vix credas, Senicianum locum habere potuisse. 4. Votum Cylani non *reale* dumtaxat, sed et *personale* item, ut Theologi loquuntur, fuerat. 5. Sanitatem idcirco ille in voti nuncupatione, sive verius, voti iam reus factus, a Deo sibi enixe postulat, quo parti *voti utrique faceret satis*, *ipse per se Dei templum aditurus*, *et quod promiserat*, *rite staturus*. Verum ecquis-

nam Deus iste *Nodentis* extiterit, rogabis? cui interrogationi paucis.

Quod *sanitatem* in titulo obiter inaudiverint nonnulli, *Aesculapio* positum, de plano edixere, probatumque dedicarunt. Verum in eo de re inventa, recuperataque, non de restituta valetudine agitur. Alio igitur cursus dirigendus. De *Laverna* nemo cogitet. *Divo* enim, non *Divae*, Tabula suspensa. Ad haec: *Laverna*, furum non hostis, amica magis, ac patrona. Qua de causa et *Mercurium* de loco hoc deturbandum censemus. In *Herculem* magis inclinat animus, qui plura a Latronibus passus, non raro eosdem et deprehendit, et poenis pro merito affecit. Quibus, ni fallimur, Apolline non invito, constitutis, ad bigam reliquam inscriptionum nostrarum quod attinet,

Nil intra est oleae, nil extra est in nuce duri.

Votivae namque et sunt ambae, Deoque Nodentis eidemmet positae. Prima sic se habet:

3.

D. M. NODONTI
FL. BLANDINVS
ARMATVRA
V. S. L. M

Initiales D. M; quod in re votiva versamur, tirones interpretentur: *Dei*, vel *divino monitu*;

quo Flavius Blandinus *votum solvit libens merito*. Quid hoc, inquies? *Nodenti* Flavius Blandinus votum solvit? *Nodens* igitur ipse *Deus*; quod idem observare est in titulo altero, quem mox afferemus. Non satis igitur firmo consistunt talo, quae de *Nodentis* significatione contra sunt disputata.

De re nihil innovandum censemus: de verbo, tantisper adhuc ampliandum. Ecquid enim vetat, *Nodentis* nomen, qui Deum colebat, fuisse heic usurpatum, quemadmodum in proxime sequenti, quod et notissimum erat, et ut ne cui dubitatio oriretur, cui Deo, vel cuius, votum solvebatur? Id certe a vulgari loquendi modo nihil abhorret, quo dici consuevit: *Voto all'Arco*, idest: *Divae Mariae ab Arcu. Voto a Monte Vergine*, hoc est: *Deiparae Montis Vergiliani*. Sed nolumus in his, caeterisque horum similibus, lectorum morari, multo minus taxare, sive arbitrium, sive iudicium.

ARMATURA. Subaudi *ab*, quo intelligatur, Blandinum de *Schola Armaturae* fuisse. In quam rem solleinne extat Musei Borbonici Marmor, Puteolis effossum; quod heic proferre, non ingratum fortasse fuerit in τῶν σφαλμάτων exemplar, quibus auctorum, quadratariorumve in-

scitia, haud raro foedata occurrunt veterum Monumenta, quae nullus Deus a Priscianaeo flagro tutas praestiterit. En tibi illud:

Schola Armatur
Fl. Mariano. V. P. Praef
Classis. et: Curatori.
Reip. Misenatium. cuius
Nobis. argumentis
Ponte. ligneum. qui. per
Multo. tempore. vetustate
Conlapsus. adque. destitu
tus. fuerat. Per. quo. nullus
Hominum. iter. facere
Potuerat. providit. fecit
Dedicavitque. ob. meritis. eius
Honestissimus. Ordo. digno
Patrono

Quid ad haec eruditi quidam? nimirum ad spuria, indicta causa, amandabunt, qui longe levioribus de causis, in Puteolanum alterum celeberrimum, cuius initium = A. COLONIA. DEDVCTA. mirum in modum dabacchantur, Maffeium, ut ipsi iactitant, sequuti. Quorum nonnulli non ultra vagati selectas Tullii epistolas, Patavinique paginas priores, his finibus concludi universa arbitrantur, quae latinitatis olim imperio subdebantur. Quod tamen et *in*

fronte, ut aiunt, et *in agro*, quanto latius pateat, norunt optime, qui antiquorum genus omne monumentis tractandis assueti, de eo et curiosius, et penitius quaesiere. Sed e diverticulo, ut dicitur, in viam. *Scholam Armaturae* de militari illo exercitio intelligendam, opinamur, de quo Vegetius (1); quodque *prolusionem* dixeris ad bellicas artes. Eo siquidem erudiebantur Milites genus omne fere tractandi arma, quibus confligendum cum hoste foret, ubi res postulabat.

Apud Fabrettium (2) videbis et T. Alium Aedistum, *militem Duplarium Armaturae*.

4.

PECTILLVS
VOTVM QVOD
PROMISSIT
DEO. NVDENTI
M. DEDET

Dedet pro *dedit*, et *perdedit* pro *perdidit*, noti archaismi.

(1) Lib. I. Cap. 13.
(2) Pag. 177. n. 460

§. II.

Pompeiorum tituli tres, Oscis characteribus exarati, exponuntur, et explanantur.

Eo iam devenimus (fato nostro bono, an malo?) ut nihil a nobis non expetendum, expectandumque sibi viri nonnulli praestantissimi, nostrumque amantissimi, arbitrentur. Nam ecce tibi Pompeiani tituli tres Oscis et characteribus, et verbis decurrentes, explanandi nobis propositi a viro tali, tamque arcto nobis veteris amicitiae vinculo coniuncti, ut multo facilius sit, nostraemet ipsos voluntati, quam illius, repugnare. Vel invitis igitur audendum aliquid, non sine famae qualiscunque periculo, ne fraus amicitiae fiat. Primus eiusmodi est.

I

ƧIIΠIIꓘ Π W

A dextra, qualis Orientalium mos fuit, ad sinistram procedit, quod et in sequentibus factum videbimus. II, nempe *i* geminum, iterato occurrit, quod in priscis Latinorum monumentis haud raro pro E usurpatum: sed pro re nostra dicen-

dum, usitatam Latinorum potestatem characteri huic constitisse et apud Oscos, quos propria literae *e* forma minime caruisse, palam fit ex sequentibus, in quibus haec per ɜ, idest E nostrum inversum exhibetur. Characterem K vices egisse literarum C, et Q, supervacaneum est callentes monere. Litera prior nexus videtur literarum N, et V. *vel* Man. Quibus constitutis, haec tituli lectio emerget, ad posteriorem scribendi legendique morem accomodata:

NV. *vel* MAN. P CIIPIIS

Quaenam nunc, inquies, titulo subiecta sententia?

Convenit inter Mathematicos, *ἄλυτα τα πρόβληματα*, h. e. *insolubilia problemata*, quorum ignotae quantitates omnes. Quorsum haec, ais? Ut intelligas nimirum, iure fortassis de hisce rogari nos, si de tituli voce una, alterave constaret. Verum hae nobis, nec enim fateri pudet, ignotae omnes. Nihil igitur a tituli ipsius penu intima, ut ita loquamur, sperandum, quod propositae quaestioni solvendae viam qualemcunque aperiat. Ex adiectis idcirco circumstantiis coniecturae petendum auxilium, in eoque partes nostras desiderari, minime profecto patiemur.

Prostat itaque titulus hic noster Pompeis *ad Angulum e regione Poetae Tragici*. Sic enim

appellari vulgo placitum Aedem quampiam Pompeianam, in qua et larvae Histrionum (Latini *personas*, Itali *maschere* dicunt), et alia praeterea compluria ad rem theatralem pertinentia depicta visuntur. Adde, quod et Aedes ipsa a Pompeiano Theatro modico intervallo abest. Quamobrem et de apparatione Theatrali rem esse, sine cunctatione credideris; et Aedem ipsam τῦ προγυμνάσματος vice stetisse, facile coniicias, quo nempe loco Fabulis proludebatur, quae deinde palam in theatro forent agendae. Itali *Concerto* propriissime nominitant. Quibus praenotatis, prima animum incessit suspicio; titulo nostro contineri potuisse *denuntiationem*, quam nos vulgo *Affisso*, seu *Invito* dicimus, Fabulae oscae proxime agendae, cuius auctor extiterit Poeta, *Manii*, aut *Numerii*, vel etiam *Naevii* nomine insignis. Posterioris huius Poetae Campani nobilissimi nota arrogantia. Et fortassis NV.P.CIIPIIS reddi poterit in hanc sententiam: *Naevii Poetae Captivus*, qui erat Fabulae titulus. Nec turbare hoc in casu deberet τὸ NV pro NEV, aut NAEV. Nam nec infrequens apud Latinos mos decurtandi voces per syllabarum initiales; et compertum aliunde est, consonae N, Orientalium exemplo, quos adfectant hi tituli nostri omnes Osci, subintelligi potuisse, sive vocalem E, sive dyphthon-

gum AE. Sed incertis, dubiisque modum faciamus, quodque est, eo utamur.

Quibus itaque *Naevius* noster minime gratus in praesenti negotio occurrit, hi *Numerium* potius, seu *Manium*, sibi habeant, legantque: *Numerii*, vel *Manii*, *Poema capies*, idest auribus excipies, unoque verbo: *audies*. Quam interpretationem facile iis probandam, putamus, quibus τῷ *ciipius* verbi potestatem subiicere lubeat ex obsoleto, communique Oscorum iuxta, Latinorumque *ciipio*, quod deinde posterioribus his evasit in *capio*, duplici nempe *i* in *a* simplex commutato. Quod minime profecto mirum, aut incredibile videbitur iis, qui vel fando de regionibus hisce audierint, in quas per imprudentiam ipsi nos coniecimus. Atqui haec si semel obtineant, neque porro, cur non obtinere apud eruditos debeant, videmus, iam non a *capio* cum Grammaticorum vulgo, sed magis a nostro hoc *ciipiio*, arcessemus compositorum subolem, quae inde fruticarunt, perennaruntque, puta τῶν: *accipio*, *concipio*, *decipio*, *excipio*, *incipio*, *occipio*, *praecipio*; *suscipio*. Eodemque referamus, iure eodem, *mancipii*, et *municipii* originationes, quorum illud erit *manu*, hoc *munus cipio*. Nobis enim, quod in Commentariis nostris superioribus non semel professi sumus, iamdiu persuasum est,

Italorum vetera omnia idiomata, Etruscum videlicet, Oscum, Euganeum, Volscens, Lucanum, Samniticum, Latinum, Graecum denique ipsum, *consanguinea* illa quidem extitisse olim inter se, sed *in linea*, ut Icti loquuntur, *collaterali*, minime *ascendente*, quasi aliud ex alio per longas generationum ambages profluxerit. Compendio dicemus, et fortasse explicatius: haec universa *linguae unius communis ab Oriente tuto petendae, fuere tamquam* αἱ διάλεκτοι *variae, regionum indoli sensim sine sensu accomodatae.*

Verum haud defuturos suspicamur, quibus minime probabitur attributa per nos *verbi* potestas voci *ciipiis*, quam potius *nomen* esse contendant. Qua facta impressione, nisi contemnendam arbitremur, haereat omnino aqua, necesse est, si ab oscorum sermone hactenus noto subsidium petatur. Ecquid enim τὸ *ciipiis*, si nominis ei vim tribues? an *cepios*, quasi a Graeco κῆπος derivandum? sed somniorum pudet. Cur non et necessitati huic succurrendum ex adiectis loci, rerumque ibidem repositarum circumstantiis, quod factum in tentamine superiore? Iuverit, revocare in mentem, in Pompeiano nos Progymnasio versari, ubi *Larvarum*, seu *Personarum* specimen non unum. Quid igitur vetat,

τὸ ciipiis pro ipsis histrionum *Larvis*, seu *Personis* accipere? *Ciipius* itaque hoc in casu erit *faciipius*, ita nempe nuncupatus ἀπὸ τῦ *ciipiin*, idest a tegendo *faciem*. In quam sententiam si vocem usurpare placeat, non modo non repugnabit, sed ultro etiam opem feret τὸ *ciipiio* verbum cum adsignata eidem per nos significantia. Quamobrem et titulus ita quoque reddi fortasse queat:

Numerius, vel Manius pro Larvis;

Quod in idem redibit, ac si usitato Latinorum stylo dixeris: *supra Larvas*, aut *a Larvis*, quae formula primo occursu sororiatur cum notissimis illis: *a cyatho*, *ab argento*, *a potione*, aliisque sexcentis praedii eiusdem. Et sub singularia II latitare etiam possit ipsum *Pompeiorum* nomen. Plane ut in sententiam fere eamdem prodeat *Numerius Pompeiorum Larvis*, seu *Progymnasio Praepositus*. Hic Latinis audiebat *Choragus*, qui videlicet Histrionibus scenicis ornamenta fabulis agendis opportuna vel de suo locabat, aut ab Aedilibus accepta praebebat. Quo nomine designatum quoque discimus *Ducem Chori*, ut ex veteri Epigrammate apud Suetonium (1) Quae altera etiam vocis acceptio, cum

(1) In Vit. Aug. Cap. LXX.

non extra Theatri pomaerium vagetur, et ad rem nostram facere potest. Sed de primo titulo plusquam satis. Alter sic habet:

2
.⅃I. IVKNN
.S. INIBDN. SINS
N

Ad finem versus primi, puta a parte sinisteriore, occurrit haebraicum *ve*, quod utrum ex vero, incertum. Nam in exemplari alio tituli eiusdem manu eadem descripti est litera I tantum inter punctos duo interiacens. Formam Π a potestate τῦ π graecorum, ut in epigrammate superiore, nihil abesse, arbitramur. 8 vero ad Haebreorum *ph* accedere videtur. Haud raro tamen stat et pro graeco Θ. Sed Etruscis est *h* merum, in quo convenisse illos cum Oscis nostris, facile videtur. Character alter sine dubitatione ulla est A, forma parum distans ab Haebreorum *Aleph*. Z, Nempe S, puncto utrimque conclusum peculiare Etruscorum, Euganeorumque fuisse, observat Lanzius. Utrisque nunc addendi Osci videntur, ut in apposito schemate cernere est. Nec incommodare debet *S* hoc nostrum, punctis interclusum, initialem se prodere vocis decurtatae *Suo* vel *Sueo*, ut veteres Latini scribere amabant. Quandoquidem ἀ κυρι-

βετα eiusmodi in vocibus aliis tituli eiusdem item decurtatis passim desideratur. Sed fatendum nihilominus, morem hunc concludendi sibilum intra duo puncta, apud Oscos minime perpetuum extitisse, cum frequentius occurrat iisdem plane destitutus. Prodeat nunc demum Oscum Epigramma communi characterum nostrorum veste exornatum:

NAQVI. IU
SAIS. APHINI. S
N

Inter N:, et A. vocis prioris punctum nullum, nullus spatio locus medius, unde de tenebris veluti emergere nunc primum videatur gens NAQVIA. Quod si loco τῦ *Naquia*, esset *Paquia*, nihil extra esset in nuce duri. Nam *Paquia gens*, de qua commemorat Gruterus (1), obviam sedat in duplici Pompeiana inscriptione, quam utramque non sine lucelli spe aliqua afferre, est animus. Prima sic habet:

P.PAQVIVM.ET.AVETTIVM.D.I.D.O.V.F

Altera talis est:

(1) Pag. 418. n. 1.

PAQVIVM. D. I. D
VENERI. ROG. WF

Quae posteriora verba sine haesitatione sic accipienda : *Venerei rogant*, *ut votis faveat*. Quae formula Pompeiorum ἰδιωτικῃ passim in Pompeianis parietibus exarata conspicitur. Titulus autem ea de caussa allatus, ut de vera interpretatione siglarum COLL. VEN. tandem constet, de quibus fuse egimus in Commentario nostro III. In quo, etsi de *Collegio Veneris*, sive *Venereorum*, eas intelleximus, sed cunctantes tamen professi sumus, accipi fortasse etiam posse pro *Collegio Venatorum*. At nunc pro *Venereorum Collegio* unice interpretamur, quod hic, et in Pompeianis titulis bene multis, *Venerei* libenter occurrunt, et *Venatorum Collegium* missum omnino facimus. Sed eo redeundum, unde digressa est oratio.

Paquia gens procul hinc facessat. *Nomen* quippe prorsus *alienum*, quod *Naquio* inferre, religio vetat. Adeone, inquis, religioni erit, *Paquiam* extrudere, nulli vero, *Naquiam* obtrudere prorsus inauditam? Ita plane. Neque enim ineptire est animus cum his, qui, si unum fortasse, alterumve nomen offenderint, quod non in Grutero, aut Fabrettio legeriut, nasum sta-

tim supinantur, suspectaque omnia habent. Caeterum ut et ipsi ingenue fateamur, genti novae *Naquiae* haud ita facile acquiescit animus. Et rectius fortasse vocem *Naqui* in duo dispescas, ut sit *N. Aqui*, hoc est *Numerio Aquio*. Nam de *Aquila*, aut *Aquilio* cogitare, vanus est labor; quos si innuere, mens fuisset, scribi oportuerat: AKVIL, non AKVI. Neque porro mirandum, nullum sive spatium, sive punctum intercedere *nomen* inter, et *praenomen*. Et in titulis quoque Pompeiorum latinis, qui in genere hoc versantur, minutiae hae negliguntur. Ita pro A. VETTIVM FIRMVM legere in pariete est: *Avettium*. Reliqua nunc percurramus.

IUSAIS, aut I. SAIS, nec enim de vera lectione certo nobis constat. Si priorem lectionem optes, primo *ιυσάις* recudes in *ibsais*: deinde ob notam affinitatem literarum *b*, et *p*, reddes *ipsais*, quod ipsissimus Latinorum *ipse*, aut *ipsus* videtur, quasi *is-per-se*. Ita *Osci* ipsi, ante *Opici*, deinde et *Obsci*, et *Opsci*. At si lectionem posteriorem praeferas, habebis *isais*, unde nullo negotio *Isaeus* ἀπο τῦ ἰσου cui cognominis partes videntur adsignandae. Sed multo veri similius; ut *Hypsaei* cognomentum in voce latitet; quod si constet, vocis originationem ἀπο τῦ ὕψεος arcessas. Cognomini huic fidem fa-

cile conciliarit titulus alter Pompeianus, qui est huiusmodi:

L. VERANIVM. HYPSAEVM
CASELLIVM. MARCELLVM
AED. OPTIMOS. COLLEGAS

Epigrammatis nunc exploranda sententia, in quam rem opportunum fuerit praenotare, in Pompeiano pariete, ut generis eiusdem alia innumera, exaratum extare. Unde facile colligas, ad illorum classem fore referendum, quibus id propositum fuerat, ut illorum auctores aut bene adprecentur Aedium Dominis, aut se, suaque iisdem commendent. In voce APHINI diu lectorem non detinebimus, sub qua latere arbitramur *Afinium* gentem, de qua apud Gruterum, aliosque passim, luculenta mentio. His positis, qui pro prima lectione stant, sic habeant:

N. Aquius. ip
se. Afinio. suo
Nomine

Sed quibus altera lectio arridet magis, quod magis auguramur, hi sic rationes ineant:

N. Aquius. Hyp
saeus. Afinio. suo
Nomine.

Tertius, idemque ultimus titulus, sic decurrit:

3

ΛXXWΛWDI. N. M. II. V
INMIƎIƎB. N. M
ΛƎЯИƎЯ· N· IIII·

Ad lectionem tituli quod attinet, abuti amplius Lectoris patientia nolumus, de quo veremur, ut hiscat adhuc secum, ludibrioque dicta hactenus habeat. Saltem nominasse eum liceret, qui in haec spineta invitos auctoritate sua pertraxit! in illum fortasse et faba recuderetur. Sed durat propositi tenax, obduratque, et solos quodcunque hoc est ossis adrodere, iubet. Pergamus igitur, onerique imposito, quod ferri non potest, ut iniquae mentis Aselli, succidamus. Epigrammatis haec videtur lectio ἡ ὑλικη

VII. M. N. IDVN. NVM
M. N. HEIEIMNI
IIII. N. RENREX

Lineae tertiae characterem postremum; quod ab usitato Oscorum M forma distet, Etruscoque magis X accedit, idcirco per literam hanc reddidimus, quam mollius et pro S efferre poteris, si placeat, ut sit *Renres*; quod quale sit, mox videbimus. Titulus ad opus quoddam Pompeianorum *publicum* respicere videtur, nec extra oleam vageris; si de theatrali cogites, in quod Pompeiorum cives tres, symbolam quisque suam contulerit. Prior videlicet HS. N. VII; secundus M; tertius postremo IIII. M, ut summa omnis sit HS. XI.N. Nam vocem IDVN prioris lineae, quaeque geminis posterioribus, noto ἐλλείψεος genere, subaudienda, non placet ab archaico *dido*, aut *iduo-divido*, unde *Idus* dictae, arcessere; sed magis ab *ido-do*, *dono*, quod Graecis est διδωμι. *Idun* itaque reddas latine: *Dedit*, vel *donavit*. Ita hodie in nonnullis nostratium regionibus: *ti duno*, loco eius, quod rectius: *ti dono*; O nempe in V inverso, quod Oscis contingere oportebat, qui litera O carebant. Quid nunc το HEIEIMNI? Nimirum *Hiymni*, seu *Theymni*, nomen viri sine dubio, quod vertas *Filium Hymni*, aut *Dei Hymnum*. Sed rectius fortasse legendum *Pheieimni*, nomenque coalitum dixeris ab *hymno*, praefixoque *pheio* Iguvinorum, quod Latinis erat *facio*, Lucanis

faco, aut *facuo*. In quam sententiam emerget *factor hymni*.

Pro litera canina, seu rhotacismo, ɑ passim usurpatum videas τας ἄλλαις Italorum veteribus διαλεκτοις. Verum non caruisse Oscos forma literae D propria, quod ipsis erat ɑ, a voce IDVN nullo labore evidens fit. R igitur tituli nostri pro R mero, putoque accipiendum videtur. Quid nunc Oscum hocce R*enrex*, vel si mavis, *Renres*; et ipsum viri nomen, sibi velit, sciscitaberis? Nobis videtur idem, ac *Dentex*, notum Latinis auribus piscis genus, a *dentibus* ita nuncupatum. *Rens* porro, et *Dens* promiscue olim dictum, ob affinitatem D, et R, ut et apud vulgus nostrum *Madonna*, e *Maronna*, indicio esse poterit vox *Nefrens*, quae, si Verrium Flaccum audias, eius est, qui *frendere dentibus* nequit: sed verius fortasse; *sine frentibus*, seu *dentibns*: ea siquidem vis, ut norunt omnes, particulae *ne* praefixae. Utcunque demum res se habeat, et ipsum *frendere* a *dentibus* mutuatum, quorum et *frendere*, et *ringere*, proprium. Nemini igitur monstri loco habendum *Rens* pro *Dens*: quin et hodiedum apud vulgares homines audias *rente*, et *dente*. Quamobrem *Renrex* ita olim dictum, quasi *rens-rens-dens-dens*. Qui mos

vocem eamdem ἐμφατικῶς duplicandi, Orientalibus frequentissimus, et caeteris Dialectis haud infrequens omnino. Sic et nos Itali dicimus : *or-ora* .. *via-via.*, *fresco-fresco* ; et quae quis enumeret? Idipsum pro Thyrrenis effecit Cl. Mazochius, qui passim caruisse putabantur litera Latinorum D, pro qua ꟼ usurparent, quod est ipsisimum R. Nam vir summus ex tofo Campano literato formam utramque extudit, ꟼ videlicet, et R(1). Sed ecce biga alia Oscorum τῶν ἐπιγραμμάτων quam nobiscum communicavit amicissimus Collega, eruditissimusque Spinellius S. Georgii Princeps. Primum sub patera insculptum est huiusmodi :

4

ƎꟻIИϽ

Quod sic videtur interpretandum : C.NIPHVS, vel NIPHEVS, paterae videlicet dominus. Alterum est tale :

5

ƧƎIИIꟽVᗺ· ZƎϽ· ᗡƎMꟽM

Mamer. cez. Sine dubio est *Mamercus*, cuius *praenominis* potestas nota apud Veteres. In voce postrema tertium elementum a consueta forma M distat, et fortassis duplicis R nexus erat. Quod si placeat, legendum : *Hurrinies*, quod

facile recudendum in *Hurrinies*, seu *Urranius*: nisi cui libeat, prius elementum pro *f* usurpare, eritque sic: *Furrinius*. Et ita quidem ineundi calculi sunt ab iis, qui in titulo herile paterae nomen contineri, arbitrantur. Sed nobis longe alia animo insedit opinio, peneque persuasum est, et pateram fuisse *Marti* consecratam, et sub patera *Dei* istius fuisse nomen insculptum. Quid igitur *Mamercez. Hurrinies*? Plane: *Mars Terminalis*. In Tabulis siquidem Icuvinis occurrit *Marte Hurie*, quod in Latinis est *Marte horse*. Posteriorem hanc vocem Cl. Lanzius (1) ἀπὸ τοῦ ὅρου graecorum derivat: dixisset accuratius, vocis fundum communem extitisse Latinis cum Graecis, Icuvinis, Oscis, et caeteris porro aliis. Sed ad rem quod attinet, *Marte Hurie* interpretatur *MartemTerminalem* Et egregie ille quidem, nostro saltem iudicio. Verum *Hurie primitivi* potestatem praeferre videtur, non *derivativi*. *Marte* itaque *Hurie* videtur potius *Mars Terminus*, quam *Terminalis*. *Hurrinies* contra tituli nostri Osci purus putusque *Terminalis* videtur, derivatus videlicet a primitivo *Hurie*.

. . *Si quid nosti rectius istis*,
Candidus imperti. Si non, *his utere mecum*.

---

(1) Saggio di Lingua Etrusca Tom. 1. pag. 253.

§. IIII.

Herculis Pompeiani signum marmoreum cum Osca inscriptione.

Vetustissimorum Italiae nostrae incolarum unum olim extitisse sermonem ab Oriente traductum, et inculcatum saepius a nobis est, et nunquam fortasse satis inculcari posse, suadent monumenta, quae passim in lucis auras nova profert aetas. Qua in re, ne in aequivoco apud incuriosos lectores versari orationem nostram contingat, opportunum fuerit admonere, de pristina nos Patrum nostrorum lingua loqui, minime de illorum alphabeto, quod consecutis temporibus, a Graecis potissimum, in eos derivatum, viri plerique doctissimi, et viderunt, et statuerunt. Cuius veritatis, ut nulla alia suppeterent argumenta, illud unum obtinere vel apud pertinacissimos, oporteret, quod observatum iam diu a viris doctis est, et nobismet saepissime experimento compertum, τᾶις διαλέκτοις universis lucem quam maximam e priscis Graecorum in primis, Latinorumque monumentis affulgere: ita ut si quando Etruscum aliquid incidit, Oscum, Icuvinum, Euganeum, Samniticum, Volscens, Lucanum, quod lectorem novitate sua et per-

cellit, et moratur; si quis patienter perpendat, cum notioribus conferat, redundantia coercendo, adiectis addendis, affinibus in integrum restitutis, ταῖς μεταθέσεσι temperatis, uno verbo, amotis explanatisque caeteris offendiculis eiusmodi; eo tandem, non sine ingenti admiratione, animique voluptate, deventurum, ut detracto veluti cortice, nucleum omnibus communem, sibique aliunde obvium, detegat, contempletur oculis, ac paene manibus contrectatum, palato gustandum admoveat. Unde illud facili negotio prudenti lectori insinuatur, praesertim qui rerum huiusmodi investigatoris accuratissimi, Lanzii libros familiares habeat, Italiae quondam advenarum unicum quaqua versum extitisse sermonem, ex Hebraeo, Chaldaico, Syroque solo prosatum; qui deinde regionum nostrarum indoli attemperatus, saporem tamen, nucleumque τὸν πρωτογενῆ constantissime retinuit. Profecto enim nemo graecos dixerit primos regionum nostrarum advenas, incolasque; neque hos mutos, atque ἀφώνους extitisse, putandum, cum primum ad eos Graeci accessere: neque credibile aliunde est, horum adventu nostros, patrio sermoni vale dicto, in illorum linguam, moresque statim, veluti miraculo, transisse. Ad haec: Graecorum in Italia Coloniis Phoenices anteverterunt. Cum

igitur tanta inter utrorumque mores, ac dialectum sit affinitas, quanta in oculos vel caecis incurrit; illud multo veri similius videtur, omnes initio ex uno fonte hausisse cum caetera, tum quae ad religionem, usumque loquendi pertinebant: hinc inter sese diductos, variisque casibus hac illac actos, denique coloniis deductis, convenisse iterum, veterisque cognationis vestigia et agnovisse, et novo foedere sanxisse. Placet in hanc rem unum afferre exemplum, quod aliorum tamquam instar sit. Quod graecis vetustioribus ετικες fuit, id Icuvinis *eitipes*, Sabinis *eidus*, Etruscis *itus*, Latinis demum *idus* (1). Et paullo haec fortasse prolixius, quam ut rei necessitas postulat, prosequuti sumus: opportuna tamen duximus iis, qui nostra nescientes, et consilium quoque nostrum ignorent, necesse est, quo constitutum semel fuit, in talibus procedere. Nam ecce nunc tibi signum marmoreum Herculis pueri, Pompeis iam dudum repertum cum Osca inscriptione, in quam commentari animus est, et de qua monendus omnino lector videbatur viam, cui insistendum putamus. Signi haec historiola.

Pompeis, ut diximus, effossum. A Rege Ferdi-

---

(1) Lanz. Vol. III. p. 594.

nando I. dono datum nobili viro Hamiltonio; et ab hoc antecessori nostro in Academia Herculanensi, V. C. Tarentino quondam Archiepiscopo, Capycilatri; a quo demum lege eadem donationis traditum viro nobilissimo, Collegaeque nostro amantissimo, Spinellio, Sancti Georgii Principi, τῶν κειμηλίων huiusmodi, nescias, utrum aestimatori τῷ ἀκριβεστέρῳ, an helluoni ambitiosiori. Hercules puer signo videtur referri. Nam leonina pellis a capite superimposita pueri capiti, quae hinc inde, tamquam in orbem, a parte postica ad poplites usque sedentem circumplectitur, desinens utrimque in nodum super pubem. Pellem puer sustinet brachio dextro sublato. Brachii laevi nil superest, nisi una palma parti poplitis superioris incumbens. Longa cervix, et agilis; venter exporrectus in modum connitentis; torosa brachia; lineamenta denique caetera talia, in quibus Herculem agnoscas, sed Herculem puerum. Huic adscriptus titulus Oscus, cuius initium a carpo extimo brachii dexterioris ad humerum usque decurrens: hinc ab humero ad latus, et a latere ad poplitem usque dexteriorem, qui tamen sura multatus est. Recurrit autem ordine eodem ad partem laevam femoris introrsum, et ad sinistrum usque genu procedit, quo desinere tandem videtur. Signi altitudo = palm.

neapolit. 1. cum unciis tribus. Tituli quod reliquum est sic procedit.

1. A carpo ad partem brachii dextri supremam extimam :

ꟻVIИIᗰ >ƎUOXƎqqIAƧ⅃VƎ⅃

2. Ab humero ad ilium usque dextrum :

UM⅂ƧO⅃HAꟽ. MƎqИOAƧXYqƎ

3. In femore dextro :

ƎAꟽOƎ

4. Ad femur laevum :

OƎAqIƎUOMƧИT

Tituli lectio ἡ ὑλιωη, et interpunctio haec videtur :

L. Uulsaipre. k. Oufp. Miniuh. Uryæsáon. Res. ipaelosp. su. Osas....... ten. su. viravo,

Partes nunc singulae expendendae, si qua data via a litera ad spiritum procedendi.

1. L. Initialis nempe praenominis, quod Etruscis erat *Lar*, Latinorum *Lucio* ad amussim respondens (1). Nec mirum, si nullo puncto disterminetur *praenomen* hoc a *nomine*, quod sequitur. Sic in loco mox citato *Cafates* pro *Caf. Ates*, quod est *Titus Attius*. Qua data occasione, opportunum fuerit, in melius recudere,

---

(1) Vid. Mazoch. Opuscul. postum. Tom. III. Diatr. V. p. 156.

quae ad pag. 14. *Comment.* I. de MA. CA. TAFANIES. diximus. Nam interpretati sumus, *Marcus*, *Caii Fil. Tafanius*. Rectius nunc; *M. Titi Fil. Tafanius*.

2. Characteris, qui per F inversum occurrit, certa statui potestas nequit. Pro titulo nostro, digammatis meri, nempe *Ue*, aut aspirationis asperae vim videtur probabilius obtinere. Quibus positis, nomem erit *Uulsaipre*, aut *Hulsaipre*. Resecata syllaba postrema *pre*, quae in Tabulis Icuvinis foret *per*, ut in *totaper - tota*, (1) superest *Hulsai*, vel si mavis *Vulsai*, mutatoque S in T affine, prodibit *Vultai*, quod reddas licet *Uulteium*. Quod si eidem elemento *ph* potestatem constare velis, tertium characterem L redundare, dixeris; quod in dialectis nostrae cognatis frequentissimum, habebisque *Fusai*, nempe *Fusium*, qui deinde Romanis *Furius* evasit, sibilo in literam caninam converso. Sin autem velis liquescentem loco suo stare, sibilus, qui sequitur, naturam τῦ *ve* induet (2), emergetque *Fulvai*, idest *Fulvius*, ut in voce AECSE, quae est *equus*.

---

(1) Vid. Lanzium Saggio etc. Tom. III. p. 670. v. 22.

(2) Loc. cit. p. 177.

Sed nobis, prae caeteris, praelucet *Uulteius*.

3. Qui alterum a decimo locum, character occupat, videtur accipiendus pro K; initiali videlicet praenominis paterni, quod erat *Kaius*.

4. *Oufp.* Subintellige auxiliarem E, sive consonae F, sive magis digammati: vel: ecce tibi *Oufep.* vel *Ovvep.*, eiusdem fere terminationis cum τῳ MAMERCEZ, qui sine dubio *Mars* est. Nam Z = ps. Oscis itaque *Ovvep*, aut *Oufep* fuisse videtur *Filius*, qui Graecis υἱος est, ut Latinorum *Filius* ex parte Graecorum, ex parte Latinorum fines attingat. Porro terminationis nominum in *p* redit exemplum ad vocem *ipaelosp*, et in Tab. quoque Iguvinis, cum aliis occurrit *vitlup.* pro *vitulus*.

5. MINIVII. Nam signum vocis huius postremum pro spiritu leni stare videtur. Sit quodcunque tandem, de *Minio* non dubitandum, quod *Uulteii* cognomen obviat et in aliis Pompeiorum titulis.

6. *Uryxsaon. Res.* Si quis *Phryxsaon* tueatur, de pronuntiatione minime contendemus, quibus et de re convenit. Profecto *Uryxsaon*, aut *Phryxsaon*, gignendi casus est numeri pluralis, qui graecis est φρυγων, Latinis *Phrygum*, aut *Phrygiorum*. Sic *Philoron*, et *Mesoron* apud

Lupum (1) pro *amicorum*, et *Mensium*. Ita Aeolibus, qui numquam aspirabant; uti observat Salmasius, *νυμφάφαν*, et *νυμφάσον* pro *Nympharum* (2). Vocem REM reddidimus *res*, qui est *rex*, minime *Rem*: nam et in Osco alphabeto M videtur pro sigmate accipiendum; quod pro Etrusco tutum ac certum praestitit vir saepe a nobis laudatus, et numquam satis laudandus, Lanzius. Nimirum Osci, loco τῦ *rex*, lenius efferebant *res*, quibus ipsis compertum est, et Latinorum *ipsum* fuisse *issum*, de qua voce quaesitum per nos in Parnasso Lapidario. Quin et Latinorum vulgo *Res* dictum pro *Rex*, testatum habemus ab Ennio, qui ait: *Hores Pyrrhus*, quod est: *hoc Rex Pyrrhus*. Verum ecquid hic, inquies, commune Herculi cum Phrygiis? Qui sic interroget, haec sibi habeat.

Hercules extitisse plures, et patria, et tempore omnes longe inter sese dissitos, norunt vel pueruli: notissimumque praeterea omnibus, horum gesta universa, laboresque, insita graecis vanitate, in unum Herculem suum collata. Jamvero de Hercule Aegyptio tradit Boccus (3),

---

(1) Epitaph. S. Sever. p. 30. 69. 186.

(2) De re Hellen. p. 431.

(3) Lib. VII. *Gen. Deor.*

apud Phrygas characterum inventorem habitum fuisse. Sive igitur ad Aegyptiorum Herculem, sive ad Graecorum, in quem unum omnia omnium cumulata, animum intenderit tituli nostri auctor, evidens est, illius beneficia in Phrygas, invento tali potissimum, commemorare voluisse.

7. *Ipae. losp. su.* Deme *i* protheticum a voce *ipae*, reliquum erit παὲ pro παῖ *puer*, *infans*. Nam Herculis infantiae, prae caeteris, monumenti auctor plaudere videtur. *Losp* pro τῷ λασῳ, λωισῳ stare videtur, quod graecis est *optimus*, *praestantissimus*; et *su* pro συ, *tu*.

Quod si τὸ *ipaelosp* pro una voce, non duplici, ut per nos factum, placeat accipere, sed compositam tamen fateri oportebit a poetarum ὑπαὶ, quod hic esset *prae*, et τῳ λαϊστῳ. Quasi si per pleonasmum a re nostra minime alienum diceres: *super praestantissime*, vel *plus quam fortissime*. Sed prior interpretatio puerili Herculis nostri aetati magis accomoda.

8. *Hosah*, vel *hosav*. Remoto duplici F, prodibit ὥσα, additoque ad finem sigmate, ὥσας, aoristus nempe verbi ὠθέω, *impello*, *everto*, ut ὁ ὥσας τῶν ὀφιων, *colubrorum* videlicet occisor, a quibus celebrata potissimum Herculis infantia; cui signum cum titulo dicatum. Nam hic nos deserit signum crure dextro aeque, ac sinistro multa-

tum, in quo haec, aut horum similia, insculpta esse, oportebat.

9. Tituli quod reliquum est, nullum facessere negotium videtur. Quandoquidem vox postrema *kiraho*, si duplex digamma removeas, purum ἱερόω est, *consecro*, *dono*, *dedico*. TNSMOU vero si in particulas duas partiaris, erit primo TNS, additaque E auxiliari mutae T, prodibit *Tens*, unde remoto sigmate redundante, emerget την; cui si addas τὸ MOU, idest σου, legas τὴν σου, *hanc tui*, idest *hanc tibi consecro*; intellige *statuam*, sive *signum*. Totius igitur Epigrammatis sententia Latinorum palato attemperata, nisi fallimur, haec esse videtur.

L. Valterius. K. Fil. Minius
Phrygum. Rex. puer. fortissime, tu
Occisor. *Draconum*
Hoc. tibi. sacrum. do

Sed quoniam ad vocem TNS litera secunda a consueta Oscorum forma literae *n* distat, et facile quis fortasse pro η graecorum mavelit, hoc in casu TNSMOU in unum θεσμου recudat, quod erit: *iure*, seu *merito*, sacrum do, quod constitutae per nos tituli interpretationi, ad rem quod attinet, nullius fraudis erit. Somnia; in-

quis. Utinam non indocta, reponimus. Utinam non et deliramenta mera!

§. V.

Aeclanensis titulus recens effossus cum literato sigillo, et additamentis nonnullis.

Nec dictorum hactenus poenitet omnino. Tantum suppudet tantisper, nec enim dissimulare ultra fert animus, lectorem nostrum, iusto fortasse diutius, distentum per nos, incertoque filo ductum per ambages varias Oscarum praecipue inscriptionum, quibus in legendis, intelligendisque laboris impendium certissimum semper, fructus incerta spes, et si in quibus certa, exigui, vel nullius fere pretii. Visum propterea est, ne sine gratia qualicunque dimittamus, quod plane inurbanum foret, τά κείμηλια quaedam non omnino spernenda, auctarii loco, eiusdem oculis subiicere, quae tellus aeclanensis, rerum huiusmodi parens uberrima, nuper edidit. Prodeat primo loco titulus quidem funebris, sed de *Publicorum* sine dubio, fortasse etiam et *Sacrorum*, classe; quem capitis modica parte multatum facile videtur in integrum posse restitui. Est autem talis.

D. M.
G. Eggii
LVPERCI
LOCO. DA
TO. DECR
ORD. SPLENDI
DISS. G. EGGIVS
NEPOS
PATER

Nimirum *G. Eggius Pater*, cui cognomentum *Nepotis*, titulum ponit *G. Eggio*, Filio, *Luperco*, quae postrema vox non cognominis, sed *dignitatis* vim prae se ferre videtur, in cuius gratiam *locus sepulcri* publice *datus*, *decreto Ordinis splendidissimi*. De Gente *Eggia* Aeclanensi confer, si lubet, quae in nota (1) cientur. Κειμήλιον aliud sigillum aeneum refert sub pedis forma cum inscriptione hac :

C. MAG
VIT.

Legesis : C. *Magius. Vitulus*, vel potius *Vitalis*. De Gente *Magia* Aeclanensi praeclarissima

(1) *Ricerche sull'antica Città di Eclano* pag. 137. et 141.

plura per nos in Opere citato. Ad rem quod propius attinet, non iniucundum fuerit, in memoriam lectori revocare, quae alibi a nobis adnotata: nempe sigilla formae huius, ac metalli vix tria extitisse eruditis nota, antequam quartum paucis abhinc annis de Aeclani ruderibus prodiret, quod et loco suo commentario ornavimus. Quibus nunc et quintum adiiciendum de officina eadem. Pauca nunc ad ea, quae in Commentario V. sunt disputata, heic adnotanda se praebent.

Pag. 135. Comment. V. ad vocem *amprufid* is nunc datur coniectandi locus. *Amprufid*, quasi *ampurefid*; nam *prufe* est *probe*, quod et *pure* nemo vetabit interpretari. Si particulae praefixae *am* potestatem τȣ̃ *αμφι* *circum* constare velis, non inepte dixeris: *circum puretur*, idest *recte*, ac veluti *ex omni parte*. Possis fortasse et *am* pro *ante* usurpare.

Pag. 155. *Medicim* facile pro *mericim* *ἀπο* *τȣ̃ μερεος*, *partis*. Quo in casu *medicim*, seu *mericim*, idem erit ac *in partes*, *vel singulatim*.

Pag. 161. Vox *pocapit*, cui verbi potestas assignata, facile pro adverbio usurpari quoque poterit ex Dorico *ποκακοτε*, *quando*, *aliquando*.

Pag. 163. Voces *prumeddixud*, et *prume-*

dicatud videntur in duo esse dividendae, nempe in *prume*, quod est *primo*, et quae sequuntur. Sed *prumeddixud*, vel *prumerrixud*, videtur derivata a graeco τῷ μερίζειν, *dividere*, *partiri*.

	Err.	Corr.
Pag. 15. v. 3.	tutas . . .	tuta.

AVVISO TIPOGRAFICO

Si è pubblicato per la Tipografia Filomatica un Comentario Latino dell'Abbate. D. Raimondo Guarini col titolo : *In Britannorum titulos aliquot nuper effossos , itemque Oscos nonnullos*. Questo Comentario va segnato col num. IX ; perchè può far parte degli altri otto pubblicati dallo stesso Autore , e già noti al mondo letterario. Il soggetto del Comentario annunziato sono alcune iscrizioni poco fa scoverte in Inghilterra , di cui si desiderava la interpretazione , e 'l supplimento. L. A. ha soddisfatto all' uno e all'altro desiderio; e a compimento vi ha aggiunta la spiegazione di sei iscrizioni Osche , fra le quali merita considerazione quella che vedesi in un Ercole fanciullo , di marmo , del Ch. signor Principe di S. Giorgio Spinelli. Si annunzia anche a coloro, che hanno altre opere del nostro Autore , essersi dal medesimo fatte altre aggiunzioni all'Opera di Eclano , della Campagna Taurasina , ed altro che trovasi nella stessa Stamperia Filomatica.